



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Secvnda Pars Mirabilis Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar

Puente, Luis de la

Pragæ, 1688

Caput XVI. Deus manifestat cuidam suæ famulæ gloriam animæ
Venerabilis Marinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38666

striora ob circumstantiam, cujus propè, imò prorsus omnes meminerunt; circumspeditionis videlicet ac dissimulationis, quâ ab ipsa fiebant, & prætextûs, quo ea occultabat, nè talia esse agnoscerentur; atque intimi doloris & afflictionis, quam patiebatur, dum illa intelligebat publicari. Iste est character & lapis lydius omnium miraculorum, quæ Sancti patrant, summumque inter omnia miraculum: siquidem inter tot applausus vivunt eorundem contemptores, ad eò humilitatis anchorâ firmati, ut à quocunque humano vento non modò non possint agi in transversum, sed neque leviter afflari.

Eundem quoque despicientiæ sui tenorem nostra Virgo observavit in prodigioso miraculo, quod Servator noster CHRISTUS, non tam per ipsam, quàm in ipsa peregit, imprimendo illi suorum sacratissimorum vulnerum stigmata, quæ per temporum intervalla mirissimis modis iterabat ac innovabat, & de quibus plurima in superioribus libris, atque in

prima parte scripta fuerunt. Nam vulnera pedum & manuum erant invisibilia, tegebanturque à cute, vulnus autem peñtoris patebat, ex quo interdum manabat sanguis & aqua: quod quidem illa tantopere celabat, ut id sociæ ipsius nunquam conspexerint, tantumque deprehenderint ex maculis relictis ab eo facto liquore in linteolo multipliciter complicato, quod illi superpositum gerebat, & quandoque ipsa eluebant. Hoc plures sociæ sunt testatæ, præstito juramento, quæ illi cohabitaverunt; pariterque jurant, sibi post mortem Sanctæ injunctum fuisse à P. Michaële de Orenja, & P. Fr. Andrea de Ponte (qui decentiæ ergo noluerunt adesse) ut viderent, qualiter dictum vulnus esset constitutum, & quam haberet formam; seque reperisse, quòd esset siccum, & haberet quinque signa, seu cicatrices, quales ex vulneribus remanere consueverunt. Laudetur semper magnus Dominus, qui est tam mirabilis in Sanctis suis.

CAPUT XVI.

Deus manifestat cuidam suæ famulæ gloriam animæ Venerabilis Marinæ.

Solet magnus DEUS & Dominus noster (quod tam in antiquis, quàm in modernis Sanctorum historijs legimus) revelare in hac vita nonnullis servis suis gloriam, quâ in altera amici ipsius fruuntur; tum ut ij, qui in hoc exilio gemunt, amplius animentur ad sequelam crucis, quæ hujusmodi profert fructus; tum etiam ij, qui jam in patria triumphant, magis innotescunt, confidentius invocentur à fidelibus, & honorentur, tanquam Ecclesiæ ipsius exemplum, & corona.

Non potuerunt hac prærogativâ carere gloriosa nostræ Virginis decora: manifestavit enim Deus varijs occasionibus cuidam eximæ suæ servæ, quàm esset emi-

nens hujus Venerabilis Domine beatitudo. Quia verò quò testatior est virtus illius, cui dicta revelatio est facta, eò dignius Venerabilis Marina, historiæ nostræ argumentum, celebrabitur, consequendo novis ac legitimis titulis piæ, quæ ipsi debetur, venerationem; necesse est, ut solito diutius in hoc probando immorer, seu, ut quod res est dicam, in redigendis in compendium ijs, quæ hac super re edisserit testis juratus omni, propter professionem Religiosam, officium, & rerum spiritualium experientiam, major exceptione, estque Reverendus Pater Frater Franciscus de Ascensione, Ordinis Sancti Francisci Discalceatus, Gvardianus Conventus Sancti Josephi, qui situs est Medinæ Campi.

Dictus porrò Pater in testimonio jurato,

Nnn 3

rato,

rato, quod de his dedit, quæ illi constabant de virtutibus & miraculis Venerabilis Virginis Marinæ, legitimè interrogatus ab Illustrissimo Domino Gregorio de Pedrosâ, Episcopo Vallisolerano, se in omnibus refert ad ea, quæ scit à quadam sua filia spiritali, insignis virtutis scemina, cujus ipse curam gerebat, & cui omnia inesse jurat signa, ex quibus agnosci possit, sanctitatem ejus esse solidam, & spiritum bonum, à quo regitur: uti sunt morum puritas, & usus orationis jam inde à tenera ætate, gravitas & modestia in agendo, rara animi demissio, promptissima erga Conscientiæ Arbitrum obedientia, abstractio à creaturis, magna in conversatione sinceritas, indefessa in persecutionibus patientia, quas sustinuit ab hominibus, & in terribilibus cruciatibus, quibus, Deo permittente, frequenter exagitur à dæmonibus; ingens quoad omnia paupertas; afflictiones voluntariæ jejuniorum, ciliciorum, & flagellationum usque ad sanguinem &c. cum reliquis requisitis, ut moraliter certum feratur judicium, DEUM in quapiam anima vivere. Atque ad majorem veritatis hujus confirmationem (neque dubio procul ampliùs in hac materia dici potest) jurat quoque quod sequitur.

Cùm tanti essent excessus Divini amoris, quos hæc anima patitur, tam admiranda, quæ Deus in ipsâ operatur, ut aliquando cor ipsius aperuerit, etque omnia suæ sacræ Passionis impresserit insignia, præter alia obtupescenda, & quidem frequentia pariter ac singularia, ut verbis sufficienter exprimi nequeant, vehementer me reddebat folicitum illius directio, & cogitandum. Ad eliciendum verò majus lumen ex tenebris, invasit meum cor, permissu Dei, quoddam genus dubij, seu defectus aliquis fidei denegatæ his operibus Dei. Rogabam sæpissimè Divinam Majestatem, ut me illuminaret, & quadam vice constitutus in istis meis angustijs, auditâ sacrâ Confessione hujus famulæ Dei, illi dixi, ut Deo impensè commendaret quoddam negotium, ab eoque postularer remedium cujusdam afflictionis, nihil dicendo qualis ea esset, aut quis illam pate-

retur. (re ipsâ verò erat, quod mihi in mea incredulitate accidebat) promisit mihi se id diligentissimè facturam, & accessit ad sacram Communionem. Ego me paulò post contuli ad dicendam Missam, & actis post ipsam gratijs, sumptu experimentum mihi aliàs consuetum, mentaliter illam jubendo venire ad me alloquendum in sede confessionali, quam ingressus iterum ipsam post breve tempus eodem modo mentaliter vocavi. Statim advenit, dixitque mihi: Tua Paternitas me bis vocavit, primâ vice venire non potui, quia occupabar à Divina Majestate, quam modo vidi cum Sanctissima ipsius Matre, & Sancto Patre nostro Francisco, ac Sancto Antonio. Commendavi Deo, quod à Tua Paternitate fui jussa, toto cordis mei affectu, & Divina Majestas mihi respondit: Dic tuo Confessario, quamdiu tandem sit futurus incredulus? atque hanc reprehensionem tertidò iteravit. Ostendit mihi, quid in corde suæ Paternitatis ageretur, & quibus vexareris dubijs, ac vidi omnia quasi illa legerem, suntque hæc & hæc. Dixit mihi omnia, & pertexit dicens: Ego Tuam Paternitatem apud Deum excusabam, & removebam à te culpam, excusando etiam me, nè tibi ista, & gratias quas obtineo, referrem. Respondit autem mihi sicut à Divina Majestate: Hæc enus tuus Confessarius, filia, necdum bibit ex flumine meæ magnificentia, & quia bibit ex rivulis, miratur quæ facio tuæ animæ. Quocirca dic illi id, nihilque ipsum ceta. Regina quoque Angelorum, quasi me consolando, mihi dixit: Quia tuus Pater non pervenit ad veram unionem, ideo illum hæc reddunt attonitum, atque inde oritur ipsius tentatio incredulitatis. Modus, quo id à famula Dei fuit dictum, erat talis, & verba tam efficacia ac plena spiritu, ut mea anima se debuerit submittere Divino spiritui, qui in ea loquebatur. Itâ curavit meum vulnus, & correxit meam incredulitatem, cum non exiguo meæ animæ emolumento. Hucusque dictus Pater: omitto multa alia, quæ adfert ac jurat, ut spiritum istius servæ Dei comprobet. Progrediamur ad ea, quæ illa, dum

dum ipsi intima animæ suæ manifestaret, asseruit de gloria nostræ Venerabilis Virginis, & is in suo juramento hunc in modum recenset.

Cum hæc famula Dei plurima ab infernalibus tortoribus patiatur, adeoque continuè ab illis excrucietur, auditis hoc anno sexcentesimo tertio multis, quæ dicebantur de Sancta Marina de Escobar, de magnis ipsius virtutibus & miraculis, quæ DEUS in ijs operabatur, qui se ipsi commendabant; atque imprimis quanto tempore fuerit excarnificata à diabolis, tenerimo illam est affectu persecuta, cepitque se Venerabili eidem Virgini commendare, ut ab ipsa protegeretur ac defenderetur à tam terribilibus ipsius adversarijs, quod benedicta Sancta Marina præstitit, quem admodum nunc dicam.

Postquam se illi Sancta Marina quater aut quinque spectandam exhibuit, eamque est consolata, fuit singularissima visio, quam habuit sub medium circiter Augusti præfenti anno; vidit enim illam summâ præditam gloriâ, quæ omnem superaret exaggerationem. Sancta ipsam est solata, & animavit ad sustinendas amore Dei eas afflictiones ac dolores, atque addidit: Ecce, omnem istam gloriâ, quâ fruor, & quam tantopere miraris, mihi Divina Majestas contulit propter ea, quæ amore ipsius toleravi. Esto bono animo, polliceor tibi, quod te sum efficacissimè adjuvatura. Comitabatur Sanctam Marinam noster Sanctus Pater Franciscus, qui illam etiam multum, & verbis tenerimis fuit solatus, animando ipsam ad dolores, quos percipiebat ex CHRISTI Domini Passione. In alia simili apparitione Sancti Patris nostri Francisci, Sancti Dominici, Sancti Augustini, & aliorum Sanctorum, illi etiam Sancta Marina comparuit, amantissimè ad eam accedens, ipsamque suavissimè alloquens, & multa promittens.

Aliâ vice conspexit Sanctam Marinam, quasi immerfam in quandam abyssum gloriæ, & existentem intra immensum pectus Dei, in penetralibus ac profunditatibus Divinis, quod intellectus nequit assequi, maleoque minus lingua ex-

plicare. Tantum mihi scivit dicere: Pater, quando mihi Deus, pro suo beneplacito, aliquem ostendit intra suum Divinum Esse, quod magis animæ sunt absconditæ & immerse intra intimum recessum illius abyssi gloriæ, & immensum pectus Dei, unâ mihi significatur, eò esse majorem gloriâ, quâ fruuntur: & spectato loco, quem mihi ostensum est, occupari à mea Sancta Marina in eo sacro pectore, inexplicabilis est ipsius gloria.

Ultimâ die Augusti, post perceptam sacram Synaxim ipsi eadem Sancta comparuit, familiarissimè appropinquans, eamque animans ad perpetuos amore Christi Domini dolores, quos tum actu sentiebat, tam internos, quam externos, à quibus velut in crucem agebatur, & subjunxit eadem Sancta Marina: Etiam me Deus hac ipsâ viâ duxit, ut continuè amore ipsius paterer. Si tibi molestum accidit conversari cum creaturis, noli idcirco affligi: Deus enim inde suam elicit gloriâ, & fructum animarum; atq; hæc fuit causa, quod istam crucem tot annis toleraverim, loquendo & conversando cum ijs, qui ad me veniebant, ut ex me caperent solatium.

In alia admirabili visione, quam hæc mea pœnitens habuit de undecim millibus Virginum, quibus est addictissima, vidit cum illis Sanctam Marinam, & ipsius opinione pulchriorem ac splendidiorem, quam ulla earum fuerit.

Quadam die, peractâ sacrâ Communionem, & perceptis à Deo ineffabilibus gratijs, illi dixit Divina Majestas: Veni mecum; & sine mora fuit à Divina Majestate ducta ad cælum, ubi vidit, quæ nemo novit, aut potest explicare. Peculiariter verò oculi animæ ipsius fuerunt abrepti, quod viderit Sanctos suos Patronos, etiamque animas jam gloriosas quorundam suorum Confessoriorum, & alios, quos viventes noverat. Præ cæteris tamen se ipsis familiares exhibuerunt duæ servæ Dei, quæ paulò antè erant defunctæ. Vna erat Sancta Marina de Escobar, altera Soror Anna Maria de Sancto Josepho, Monialis Ordinis Sancti Francisci

cisci Discalceata, in Conventu Salmanticensi. Iste duæ Sanctæ manserunt apud hanc meam poenitentem toto tempore matutino, quo fuerat in templo, tantam ipsi demonstrando benevolentiam, ac pollicendo tam amanter suam protectionem, quamdiu esset victura, atque ita suam gloriam manifestando & pulchritudinem, ut sibi videretur eas etiam oculis corporis intueri: sive namque eos clauderet, sive aperiret, eodem modo fruebatur ipsarum præsentia. Splendores, quibus circumdabantur, vestibus indutæ, quibus hinc usæ fuerant, erant inexplicabiles. Admirabiliorem & gloriosiore se illi videbatur ostendere Venerabilis Marina. Benedicta soror Anna de Sancto Josepho habebat in manu pretiosissimam crucem, & elegantissimum anulum, atque Sancta Marina ferebat similiter crucem, & tres admirabiles annulos. Causam, ob quam ita alteram superaret, tum non rescivit. Occasio autem videndæ benedictæ Annæ de Sancto Josepho, quæ ipsi primâ vice comparuerat, fuit, quod ego illi pridie locutus fuerim de magna ipsius sanctitate, ac dixerim, quàm bene fuisset conscriptus liber, qui in lucem prodiderat de illius vita & virtutibus. Ab hoc die ipsam hæc benedicta Monialis frequenter visitavit, apparendo illi unâ cum Sancta Marina, à quibus magno replebatur solatio, & animabatur.

Tantam hæc duæ beatæ sponsæ Christi cum ea iniverunt familiaritatem, uti sibi illas continuò habere præsentem videretur, sèque frui admirabili pulchritudine & gloriâ, quibus adornatas ipsi quotidie cœlestis Sponsus exhibebat. Inter alias vires ipsi bis comparuerunt plenæ pretiosis lapidibus, ita ut ipsa quoque calceamenta non possent aspici, præ magnitudine splendoris. Sancta Marina gerebat suos tres annulos, sancta soror Anna duntaxat unum. In una harum apparitionum interrogavit famula Dei Beatam Marinam, an verum esset, quod dicebatur, de data ipsi à Divina Majestate in charta pura quadam subscriptione, ut peteret quidquid vellent. Et respondit illi, ita omnino

accidisse. Dum illas clariùs videret, quod multoties fiebat, quadam vice pretiosi lapides coronæ & vestium Venerabilis Marinæ ipsi videbantur esse instar carbuncolorum, & illi quos habebat soror Anna, similes adamantibus.

Injunxeram meæ poenitenti, ut pro Dei & Sanctarum ipsius gloria illas interrogaret, quale esset mysterium annulorum, & cur ab una gestarentur tres, ab altera verò tantum unus. Et quadam occasione, cum ipsas eodem modo vidisset, id cum magna animi demissione ac modestia exijs quæsiuit, ut mihi obtemperaret. Sancta Marina illi respondit: Unus ex his annulis mihi est datus tanquam sponsæ, licet indignæ, mei Domini; alter est insigno Virginis; tertius Martyris: quia ingens fuit martyrium, & dolores, quos amore Divinæ Majestatis toleravi, quam ob causam mihi majus præmium est datum, quàm ulli ex undecim millibus Virginum, sicut aliàs vidisti.

Verfabatur aliquando in actuali DEI præsentia, assistente illi fidelissimâ ipsius Advocatâ Sanctâ Marinâ, cum interim terribiliter à diabolis cruciaretur, tum illam interrogavit: Mea Sancta, quomodo me isti hostes audent cruciare, aguntque tam securè in conspectu Divinæ Majestatis? Respondit autem ipsi Venerabilis Marina: Noli mirari, idem enim mihi contingebat, quod Deus fieri permittit pro majore servorum suorum corona, & eorundem diabolorum confusione. Atque hoc Sanctæ responsum non abludit ab eo, quod ipsimet dæmones aliâ occasione eisdem personæ sunt fassi: se nempe magis affligi, dum illam excruciant, quàm ipsis inferni tormentis: & hoc in genere nonnulla evenerunt valde notabilia, quæ nunc ad nostrum propositum non faciunt. Eadem Sancta Marina illi aliàs, ut ipsam in quadam re solaretur, dixit hæc verba: Inter magnas gratias, quas innumeris vicibus à liberalitate magni Dei nostri & Domini accepi, cum in mundo viverem, fuit favor, quem obtinui, quando mihi in meo cubiculo apparuit Beatissima Trinitas, præsentem Regina Angelorum. Favor ille, & bona,

& bona, quæ tum temporis sum adepta, sunt absque ulla comparatione tam magna, ut, quantumcunque illa intellectus hominum hic vellent extollere, semper tamen minus, quàm par esset, conciperent. Dixit præterea, tot, adeoque continuatis vicibus se fuisse à Deo visitatam, ut eæ vix possent numerari, & subjunxit: Semper me Deus plurimum animabat, ut, quæ amore ipsius tolerabam, sustinerem æquo animo, conformando me in omnibus cum Divina voluntate. Conclufit verò Sancta Marina dicendo illi inter alia, magnam fuisse suam cum Divina voluntate conformitatem, quam ipsi Deus dedisset; & quomodo ab eo fuerit conservata, nè caderet in peccata venialia: peccatum enim lethale, per Divinam misericordiam, à se nunquam fuisse commissum.

Quadam occasione, inter alias, quas prætermittro, illi comparuit Sancta Marina, & vestis, quam gerebat, erat ita geminis, tanquam adamantibus & carbunculis referta, adeoque resplendens, ut non potuerit aspici. Subtegmen hujus vestis erat quasi candidum & rufum, qui colores significabant virgineam ipsius puritatem, & continuum ejusdem martyrium:

habebat annulum ornatum carbunculis, quem illi dederat Sponsus, atque eadem geminæ erant insertæ gloriolæ ipsius coronæ. Comitabatur hanc Sanctam benedicta Soror Anna de Sancto Josepho, & Sancta Birgitta, cujus vestitus erat admirabilis. Exhibuerunt se illi tres istæ Sanctæ valde faventes, præcipue verò emittit affabilitas Sanctæ Marinæ exhortantis ipsam, sicut semper aliàs, ad patientiam amore sui Sponsi CHRISTI Domini. Ut autem ostenderet, quale præmium in cælo sit præparatum ijs, qui amore ipsius tolerant adversa, deposuit coronam, quam in suo capite habebat, eaque circumdedit caput hujus suæ clientis, quam ita propè biduo invisibiliter gestavit, cum tanto suæ animæ gaudio & jubilo, quantum sibi quisque potest imaginari. Elapsis his diebus ipsi Sancta Marina rursus comparuit unâ cum Christo Domino, qui suis manibus ipsi suæ famulæ abstulit coronam, quam ei dederat Venerabilis Marina, imposuitque illi coronam spineam, dicendo: Nolo, ut sponsa mea in hac vita aliam habeat coronam, quàm spineam: quod enim mihi in ea maximè placet, est, ut propter me patiat.

CAPUT XVII.

Prosequitur materiam prioris Capitis.

Quanquam omnia sint prorsus admiranda, quæ hæcenus in sua jurata attestatione asseverat P. Fr. Franciscus de Ascensione, non minus tamen mira sunt cætera, quæ sequentibus refert verbis.

Mandavi aliquando, ex quadam occasione, dictæ meæ penitenti, ut, ubi rursus videret Sanctam Marinam, eam interrogaret, quânam Deus ipsi gratias & favores concessisset pro corollis precatorijs, erucibus, numismatibus, sacrisque ceteris benedictæ amuletis; & esentue vera,

Vita Mar. de Escob. Pars II.

quæ de hac mirabili concessione referantur? Primâ igitur vice, quâ illam vidit, quæsit ex ipsa, quod à me fuerat iussa. Sancta Virgo ei respondit, omnia ita se habere, sicut asseverantur, & ab ipsamet scripta fuerant, atque prædicta magno fore adjumento ad consequendam salutem ijs, qui illa gestarent, ac haberent in hora suæ mortis. Dixit ipsi quoque numerum Angelorum, sibi à Deo attributorum, quos Divina Majestas voluit ab hac persona videri, & quanta illorum esset pulchritudo. Præterea illi eadem occasione manifestavit altissimum gradum, quem conscendit in cælo, propter multa,

ooo

quæ